

latio apprehensoris ut apparitoris, Birroarii, vel similibus, de quibus Doctores prælibati loquuntur, à relatione Actuarii, qui publica auctoritate destinatur, ut fidem præster de iis, quæ coram eo geruntur, ob quod relationes per eum factæ de mandato iudicis inter publica monumenta numerantur, atque apponuntur, plenam probationem faciendo.

78 Sed ex his non remanet exclusa legitima impugnatio istius relationis, sive cuiusvis instrumenti, aut scripturæ. Quia licet dici jure possit, quod horum actorum judicialium publica fides, neque testibus, neque multo minus publicis instrumentis ex confectis inter privatos instrumenta valet, ut docuit Hugo Donell. d. l. 25. com. c. 8. ubi Illiger. lit. M. Quia hæc apud nos non procedunt ex Text. in l. 17. tit. 18. part. 3. quæ admittit probationem testium, & scripturarum ad reprobandum instrumentum publicum, requirens quatuor ad minus testes idoneos, ut idem Text. dicit & notat Greg. Lopez ibid. gloss. 2. pluribus Castillo d. c. 16. n. 18. quamvis iste Textus, & Doctores relati aperte de instrumento inter privatos confecto loquantur, tamen favore defensionis reorum admitti ejus dispositio debet, præsertim si impugnatio respiciat personam Actuarii, qui omni exceptione major desideratur ut probationem plenam inducat l. optimam in fin. C. de contr. & com. stipul. cum aliis adductis per Castellum d. c. 16. n. 12. & quia licet plurimi integerrimi sint, non pauci reperiantur qui in exercitio officii peccare frequenter solent, ut docet Gloss. in c. decernimus, & de sentent. excomm. in 6. Felin. ibid. & in c. ad probandum, colum. 2. vers. ceterum de re judic. Chassan. in consuetud. Burgund. §. 5. de just. n. 7. Petrus Gregor. Tolosan. d. c. 14. n. 9. Castillo d. n. 12. Azevedo in rub. d. tit. 25. n. 19. lib. 4. recap. latè Pareja iis. §. ref. 1. per tot. & quoad relationem nuntii destinati ad citationem, de qua per Actuarium instrumentum confectum fuit, Guazin. defens. 9. c. 4. n. 4. quod praxi receptum est.

81 Cum autem in hac causa plura probata fuissent impugnantia personas Actuarii, & Apparitoris, sub prætextu inimicitia in ipsum reum, & alius testis non fuisset formiter reproductus defectu probationis ex hac parte concordati voto fuit reus pœnæ extraordinariæ condemnatus. Quoad probationem instrumenti discordes erant Domini, nam aliqui

Farinacium sectando, doctrinam ejus sequebantur: Ceteri juxta prædicta calculum ponebantur.



CONTROVERSIA XXIX.

De nece nequiter per feminam patrata in atrio Palatii Regis nostri potentissimi, instrumento sulfureo, sive Pistolete.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Notorium crimen dicitur, patratum in loco publico coram multitudinē.
- 3 In notoriis ordo est, ordinem non servare.
- 4 Homicidium potius casu, quam dolo factum presumitur. & n. 5. & 69.
- 5 Fæmineus sexus præsumptionem Doli excludit. & n. 72.
- Fæmina mitius puniri debent in pluribus criminibus, ibid. contrar. n. 76. cum seqq.
- 6 Fæmina molestam de Adulterio occidere potest, & n. 108.
- 7 Homicidium non est præmeditatum, si adsit causa provocationis.
- 8 Injuriatus atrociter impetu magis quam ex proposito delinquit.
- 9 Calore iracundiæ quæ sunt, non ex animo deliberato procedunt.
- Timor in fæmina vehementer, præsertim ex diffamatione. ibid.
- Fama pudicitia tenerrima in fæminis est. ibidem.
- 10 Calor iracundiæ permanet per aliquod temporis spatium arbitrio iudicis regulandum.
- 11 Insidiarum, & proditoris qualitas cessat, si adsit causa inimicitia inter occisum, & necantem.
- 12 Quod procedit etiam si occisus frater sit.
- 13 Factum, Dolum & malum animum comprobatur.
- 14 Homicidium præmeditatum patratum, pœna capitali puniendum.
- 15 Idem de jure Hispano procedit.
- 16 Jus Hispanicum, requirit quod allegans causam excludentem dolum, probare tenetur.
- 17 Inimicitia non excusat à pœna homicidii deliberati, nisi præcedat sententia.
- 18 Injuria verbalis, vitium meretricis fæminis attribuens, olim multum estimabatur.

19 Injuria

- 19 Injuria hæc pensanda nunc est, juxta recentem estimationem, despicientem hunc abusum.
- 20 Injuriarum actio estimatur, ex animo injuriandi.
- 21 Injuriosa verba in rixa prolata, circa animum injuriandi proferuntur.
- 22 Animus deliberatus ex intervallo resultat.
- 23 Iræ servans, quo patio puniendus ex sententia Platonis.
- 24 Dolus homicidium, quando dicitur.
- 25 Animus deliberatus, & dolus latent in corde.
- 26 Et sic probantur conjecturis, & indicis.
- 27 Insequi occisum, quærendo opportunitatem occidendi secure animum deliberatum comprobatur.
- 28 Genus armorum, animi præviam deliberationem denotat.
- 29 Ad fæminas non pertinet arma tractare.
- 30 Arma mulierum colus, susus & acus.
- Fæmina exclusa à successione feudorum servitium personale requirentium, quia arma tractare nequeunt. ibid.
- 31 Ex corporis parte lesa, resultat conjectura animi deliberati.
- 32 Machinatio dolosa, seu artificiosa cautela, animum malum indicat.
- 33 Inimicitia causa præcedens, animum occidendi declarat.
- 34 Inimicus obviam inimicum inventiens, & in eum irruens, impetu potest ferri, secus cum quærendo.
- 35 Locus in quo homicidium patratur, delinquendi deliberatum animum prodit.
- 36 Arbitrium iudicis regulandum, per rationem juris.
- 37 Dicitio incontinenti, sumenda secundum subjectam materiam.
- 38 Dicitio incontinenti, quomodo accipitur à lege, in causa injuria atrocis, & justis doloris.
- 39 Injuria alia sunt re, alia verbis.
- 40 Realis injuria est, quæ facta irrogatur.
- 41 Verbalis injuria, quæ per convitium inferitur.
- 42 Injuria facta irrogata propulsatio, à jure toleratur.
- 43 Injuria verbalis nisi statim retorqueatur, non excusat à pœna & ratio disparitatis.
- D.D. Laur. Matthæu, de Re Crim. Pars I.
- 44 Ex injuria facti effectum permanentem producente, remanet dolor, & sic excusatio per leges concessa ulciscenti incontinenti, relinquatur arbitrio iudicis.
- 45 Doctores excusantes ab acerbitate pœnæ ordinaria, vindicantes post tempus, de injuria facti loquuntur.
- 46 Secus in verbali, quæ statim vindicanda est, excusationem præbeat.
- 47 Dicitio incontinenti, quomodo accipienda ad hunc effectum.
- 48 Omnis meditatio ultionis excludenda est in eo qui excusari desiderat.
- 49 Percutiens à tergo nullo dicto verbo insidiosè percussit.
- 50 Insidiosum homicidium quando dicitur patratum, ad effectum imponendi pœnam ordinariam.
- 51 Quid de jure Hispanorum.
- 52 Homicidium insidiosum, sive aleve, est illud quod patratur extra certamen, pugnam, vel rixam.
- 53 Homicidium patratum arcubus, sclopo, sive pistolete insidiosum, & proditorium est.
- 54 Instrumenti sulfurei parvi delatio, habet admixtam proditionem.
- 55 Homicidium patratum in Palatio Regis, proditorium est. Leg. 2. tit. 16. part. 2. expenditur, ibidem.
- 56 Homicidium patratum in accessoriis Palatii, proditorium pariter censendum.
- 57 Lex Julia majestatis, comprehendit quicquid perficitur in dedecus Principis.
- 58 Occasio inultius, quæ datur ex homicidio patrato in Palatio, est comprehensa in lege Julia majestatis.
- 59 Tumultus committitur ex subdito timore, & motu populari.
- 60 Commilitones charitate mutua afficiuntur.
- 61 Occidens militem Palatinum in legem majestatis peccat.
- 62 Aliquem militem Palatinum vulnerans, sacrilegii pœnâ plectendus.
- 63 Sacrilegium simile est, crimen læsæ majestatis.
- 64 Atria Palatii sub dispositione d. l. 2. comprehensa sunt.
- 65 Palatii nomen generale est, cuncta comprehendens.
- 66 Don Josephus Exea laudatur.
- 67 Palatii Regii Atributa, & excellentia in omnibus.

T 68 Crimina

- 68 Crimina in palatio patrata, acerbius puniuntur.
- 69 Homicidium in dubio, potius dolo, quam impetu factum presumitur.
- 70 Factum ipsum animum comprobatur.
- 71 Dolus distinguitur ab animo deliberato.
- 72 Fœmina in claris non excusatur a dolo vero.
- 73 Fœmina verum dolum habere potest.
- 74 Leges penales, femininum genus comprehendunt sub masculino.
- 75 Cap. non indignanter 32. quæst. 6. expenditur.
- 76 Fœmina comprehensa sunt in acerbitate pœna ex lege Cornelia de sicariis.
- 77 Fœmina aequali pœna puniuntur in crimine hæresis.
- 78 Fœmine pari pœna puniuntur in polygamia.
- 79 Fœmina pari pœna punienda in sortilegiis, maleficiis, & incantationibus.
- 80 Idem in crimine blasphemie.
- 81 Idem in percussione Clerici.
- 82 Idem in crimine Majestatis.
- 83 Idem in crimine parricidii.
- 84 Idem in crimine propinati veneni.
- 85 Idem in crimine magni furti.
- 86 Idem in crimine falsæ monete.
- 87 Idem in delatione armorum prohibitorum.
- 88 Idem in crimine Adulterii, & incestus.
- 89 Idem in crimine lenocinii.
- 90 Idem in crimine raptus.
- 91 Fœmina plures bannuntur.
- 92 Eva eadem pœna cum Adamo fuit punita, ex eodem peccato, vel verius graviori.
- 93 Eva ratione sexus, neque ventam obtinuit, neque mernit.
- 94 Servitus omnium malorum extremum est.
- 95 Pœna acerbior imposita fuit Evæ ad reprimendam propensionem femininarum in transgressione legum.
- 96 Corbi filia Principis Medianitarum eadem pœna fuit affecta, cum Zambri duce de tribu Simeonis, & quare.
- 97 Deus judicium Phinees approbavit, sacerdotium ei, & proli concedendo.
- 98 Fœbel Regina Israël, & filia Regis Sioniorum acerbius punita cum Acab Rege, & conjuge ex eodem crimine.
- 99 Saphira equali pœna punita fuit cum Anania conjuge a divo Petro ratione ejusdem criminis.

- 100 Fœmina ratione sexus non excusantur a pœna nisi in criminibus a jure expressis.
- 101 Præsertim in crimine insidioso.
- 102 Fœmina in Regno Valentia pœna cremationis puniuntur in crimine veneni propinati.
- 103 Fœmina artem venenandi invenerunt.
- 104 Pœna exacerbanda ex frequentia, & periculo delinquendi.
- 105 Veneni propinatio inter crimina proditoria, & insidiosa connumeratur.
- 106 Fœmina mitius punienda in levioribus tantum, & jure expressis.
- 107 Minime in gravioribus, præsertim si prohibeantur jure divino, naturali vel gentium.
- 108 Fœmina honesta non potest occidere impunè molestantem de adulterio ex intervallo.
- 109 Nisi in ipso actu molestia violenta.
- 110 Fœmina in pœna laus adquiri valet.
- 111 Exemplum magnum habet aliquid ex iniquo quod publica utilitate compensatur.
- 112 Fratrem inimicum occidere, non excusat a pœna legis Pompeia, de parricidiis.

A Ngela Knoler uxor unius ex militibus Palatinis die 7. Julii anni 1666. hora undecima meridiana, Bernardinum Vuser Cretarium, & militem ejusdem cohortis, in atrio Palatii nostri Regis Carolici, cum pluribus familiariter agentem, coram Populi copioso cœtu, a tergo, ictu sclopi manualis, parvæ ac reprobatæ mensuræ in capite percussit, qui ex lethali vulnere semivivus cecidit, ac die sequenti eadem fermè hora occubuit. Fuit Angela per satellites in flagranti deprehensa, ac mihi tradita per Eminentiſſimum Dominum Ducem de Montalto & Bivona Principem Paternonis, tunc nostræ Regiæ Oeconomum Maximum, nunc verò factæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalem de Moncada. Eam remisit ad carcerem in sella gestatoria, clausam inverso modo ductam & pluribus Apparitoribus comitatam. De instructione causæ tractando, testem de crimine concludenter deponentem per sensum visus cum identitate personæ, mediante recognitione juridica examinavi: aliosque qui de visu pariter deponebant, sed absque recognitione, eò quod ipsam epitogio

togio velatum viderunt; sed esse eandem quam mihi tradere jussit præfatus Dominus Oeconomus Maximus, atque satellites tenuerunt. Ad examen illius procedendo, confessæ judicialiter fuit crimen, causam necis patranda superaddendo; nempe quia ab ipso Bernardino convitiis, atque contumeliosis verbis, pudicitiam ipsius arguentibus, fuit injuriata die 29. Junii præcedentis, in concursu Processionis sacratissimi Corporis Christi Domini, habitæ in Regio Monasterio sanctissimæ Incarnationis hujus urbis. Et quod cuncta perfecerat absque mariti, vel alterius notitia consensu; ne ab executione sceleris impeditur.

² Hæsitabam quoad formam procedendi, quia notorium crimen evidenter apparebat; & enormissimum, ratione cujus, prius de pœna imponenda, quam de criminis inquisitione, solemnè ritu formanda, erat agendum, exempla veterum Romanorum sequendo: de quibus Valer. Maxim. *factor. memorabil. lib. 6. c. sic inquit, non potuerunt severissimi viri in tam evidenti scelere longum publicæ questionis tempus expectare. Itaque quarum innocentium defensores fuissent, sonitum maturi vindicæ extiterunt: magno scelere horum severitas ad exigendam vindictam concitata est.* Loquitur namque de fœminis, ut exemplum ab eo propositum, magis nostræ controversiæ congrueret. Quod juris ratione fulcitur aicente Petro Belluga in *specul. Princip. Rub. 11. §. compendiosè, numer. 11. ibi: Pone exemplum, homo occisus in curia præsentis officiali in cuius neglectu, vel in Ecclesiæ coram toto populo, vel in concessione, aut seditione, & timetur forsitan scandalum, nam his casibus, & aliis similibus, si iudex omittat facere processum secundum limites fororum, vel constitutionum, dum tamen sibi, ut iudici constet, non dicitur de tali transgressione gravare. Iste casus est singularis in l. si quis filio, §. hæc autem, vers. quod tamen, ff. de injusto rupt.*

³ In notoriis enim ordo procedendi est ordinem non servare, ut pluribus probat Dominus Don Franciscus Salgado de *Reg. protel. parte 3. capite 14. numer. 47.* Præsertim cum ex ictu instrumenti sulphurei, pœna legalis adesset juxta Textum in *leg. 15. & 17. tit. 23. libro 8. recopil.* Cæterum, quia Angela mihi fuit tradita tanquam Præfecto Regiæ domus, & Curiæ, non omnino *D. D. Laur. Matthan, de Re Crim. Pars 1.*

nimoda jurisdictione penes me residebat, sed juxta legis formam, nempe *leg. 6. titul. 6. libro 2. recopil.* qua cautum habemus quod Præfectus Curie per se solum ordinatiora iudicii perficiat, decisoria ad Aulam deferendo. Ex his progressus non fui ad declarationem notorietatis, & pœnæ impositionem; quod fortè utilitati publicæ obtuliffem, si mihi causâ absolutè commissa foret.

Quâ pœnâ plectenda erat, dubitabat patronus, allegatione diserta conando probare, extra ordinem puniendam esse. Primò quòd in in dubio, potius casu quam dolo, & malo animo patratarum homicidii, & omne delictum præsumi debet, ex *Textu in l. 1. §. divus, ff. ad leg. Cor. de scar. docent Cabal. tract. de omni gener. homicid. ex numero 137. Farinac. questio. 126. numero 104. plurib. Giurba 51. numero 1. & conf. 82. numero 13. ex nostratibus Plaça in epit. cap. 10. numero 7. & Paz. ad leg. 63. styl. numero 23. præsertim in fœmina, cujus sexus, ex imbecillitate, vel virium, vel intellectus, dolum excludit, ut probat glossa in *leg. ubi, ff. de edend. Baldus in l. precibus num. 30. vers. quid ergo si petiit, C. de impuber. & aliis subst. Jodoc. in prax. c. 89. numero 111. Matth. Berlich. 4. parte, concl. 27. in 28. Ob quod mitius puniri solent, ut in crimine hæresis tradit Simancas de *cathol. inf. cap. 17. n. 28. Carroc. decis. 6. n. 24. In crimine majestatis Oldradus conf. 391. Boër. tract. de seditios. colum. penult. Tibe. Decian. lib. 7. c. 49. n. 9. In crimine sacrilegii Text. in l. sacrilegii 6. ff. ad leg. Jul. peculat. In rapto Jul. Clar. libro 5. sent. §. raptus, vers. sed pone; Jodoc. in prax. cap. 95. numero 17. Decian. lib. 8. cap. 7. numero 27. In crimine falsi Mascar. de probat. lib. 2. conclus. 956. num. 6. cum segg. In falsa moneta Text. in *lege 1. §. vidua ff. ad leg. Cornel. de fals. Giurb. conf. 85. In crimine resistentiæ Clar. §. fin. questione 29. vers. quæro etiam, Carroc. d. decis. 6. per tot. & in aliis levioribus Tiraquel. de pœn. temper. caus. 9. Farin. quest. 98. Thoro. vot. 71. per Text. in cap. sicut dignum, ubi Gloss. verb. sexus de homicid. cap. si indignanter 31. quæst. 6. l. quisquis, §. ad filias, C. ad leg. Jul. majest. l. si adulterium, §. iidem Imperatores, vers. incestum, ff. ad legem Jul. de adulter. cum similibus.****

Secundò, quia in fœmina honestæ

vita virum habente homicidium non est punibile si commissum ab ipsa sit in eum qui ipsam sollicitat, vel molestat ad adulterium, ut in terminis cum doctissimo nostro Fran. Sarmiento *selectar. c. 1. num. 11.* exscripsit Ciazzius *discept. criminal. 26. numer. 84.* Cum autem diceretur Bernardinum molestatse Angelam ad adulterium eam provocando, quid mirum quod pudicitia tuenda causa ipsum occidisset?

7 Tertiò quia Bernardinus atrociter Angelam injuriaverat, convitia in eam coram multitudine copiosa profrendo, quæ pudicitiam ejus arguebant: ex quibus graviter offensa remansit, juxta Text. *in leg. 2. tit. 10. lib. 8. recopil.* Dominus Covarruv. *libr. 1. variar. capit. 1.* Capicius Larro *Decis. 75. numero 12.* ob quod potius impetu, & dolore justo commoratur quam dolo deliquisse dicendum est, quia provocata fuit in causa honoris, quæ sufficit ad excusationem ab acerbitate pœnæ, Text. *in leg. perspicendum. §. delinquitur. ff. de pœn. Castillo decif. 171. tom. 2. Riccius decisione 243. part. 3. Marius Mura decisione 36. Don Fran. Merlin. Controvers. for. 66. cent. 1.*

9 Quartò nam Angela non solum provocata dicebatur ex contumelia, sive injuria verbali, verum etiam percussa indecorosè, atque minaciter pavescata, sub prætextu impudicitia marito revelanda; ex quibus in ea duplicem affectum resultasse affirmabatur: iracundia ex percussione publica, juxta Text. *in leg. sed est questio. §. 1. ff. de injur. ibi, si in theatro, vel foro cedit quamvis non atrociter, atrocem tamen injuriam facit.* Quod pariter probat Text. *in leg. prator edixit, §. atrocem, ff. eod.* Et timoris quia ex temeritate Bernardini verebatur, quod diffamatio impudicitia ab eo instituta perveniret ad aures Mariti; eo quo vita illius periclitari posset. Et timoris affectus in mulieribus violentissimus esse solet, pluribus Tiraquel. *in leg. 9. connubial. numero 158. cum seqq.* præcipue dum fama periclitatur. Bene nostras Ludovicus Vives libro de *Christ. femina. titul. quomodo for. agen. ibi Nihil fama & existimatione feminarum est tenerius; aut magis injuria obnoxium, ut non immerito videri possit de filo aranea pendere.*

10 Horum affectuum calorem permansisse in ea præsumendum erat, per il-

los octo dies decursos à die provocacionis, usque ad diem necis: ac per consequens, impetu, & calore iracundia, aut timoris, necesse injuriantem sive provocatorem fatendum erat. Quia cum in ipso actu compefcere injuriam non posset, neque inermis femina resistere, aut ulcisci; satis in contenti injuriam propulsasse, seu timorem prævenisse videbatur, si quam primùm potuit ad ultionem progressa fuit. Cum tempus ad hoc assequendum, præfinitum per leges non reperitur, & sic relinquitur arbitrio judicantis, juxta tradita per Peguer. *decif. 78. num. 41.* Farin. *q. 91. num. 5.* Burg. de Paz. *conf. 22. num. 7.* Grammat. *decif. 9.* Gizzar. *decif. 18.* Giurba *const. 86. ex num. 18.* & Barbosa *dict. usu freq. 155. num. 11.* & 12.

Quintò, quia in hoc casu cessabat qualitas insidiarum, vel prodicionis; cum negari non posset quod ex controversia habita inter occidentem, & occisum, ortum habuit vera causa inimicitia capitali ratione injuriarum illatarum Angelæ, juxta doctrinam Farinacii *q. 49. num. 29.* qua supposita, non poterat dici proditoriè occidisse, juxta doctrinam Bartol. *in d. l. perspicendum, §. delinquitur, ff. de pœnis.* Quæ à Doctoribus communiter recepta est, adeo ut posita inimicitia, vel ejus causa, licet occisus sit frater, proditio cessat, ut tradit Giurba *Conf. 20. n. 13.* quem ex nostratibus sequi videtur Alphons. Narbona *in l. 20. tit. 1. l. 4. recopil. glos. 12. n. 38.* apud quos plures.

Sed his non obstantibus, ordinaria pœna plectenda videbatur Angela, cum in nostra specie factum ipsum, dolum, atque malum animum comprobabat. Nam ipsa confessæ erat, quod post contentionem habitam in ipso die processionis, Bernardinum occidere deliberaverit, quia meretricem publicè vocavit; quod arma cautè quaesivit, horam opportunam inspectavit, ad Palatium in quo inveniendus erat, progressa fuit, deliberatione tacuit, & cum invenisset in atrio, sclopoli manualis à tergo expositi, istu percussit animo occidendi, ut cum effectu occidit. Quibus comprobatis clarè subintrat regula Text. *in l. 1. §. 2. ff. ad leg. Corn. de scar. Text. in l. 1. c. eod. Text. in l. 3. c. de Episcop. Audient. Text. in l. 1. c. quando liceat vindic. Text. in l. 3. c. de his qui ad Eccles. confug. Text. in §. item lex Cornelia insit. de public. judic. Quod pariter de jure nostro Hispano*

no procedit Text. *in l. 1. tit. 5. lib. 6. for. judic. Text. in d. l. 63. styli. Text. in l. 2. titulo 8. part. 7. Text. in leg. 1. & 2. tit. 17. lib. 4. for. leg. Text. in l. 3. & 4. tit. 13. lib. 8. ordin. & Text. in l. 3. 4. & 15. tit. 23. lib. 8. recopil.* Per quæ jura pœna capitalis imponitur. Quam regulam docent & exornant Doctores in his juribus Julius Clarus *in §. homicidium, n. 8. vers. ex proposito, ubi add. & signanter Baiard. n. 13. Carrer. in pract. crim. tract. de homicidio 3. §. homicidii discept. n. 2.* Tiberius Decianus *lib. 9. tract. crim. c. 20. n. 13.* Prosperus Farin. *q. 126. n. 3. & 9.* Petrus Caball. *d. tract. de homicid. n. 7.* Marius Giurba *conf. 10. n. 18.* Ant. Matthæus *de crimin. lib. 4. §. ff. tit. 5. c. 4. n. 3.* Ciazzius *d. discept. 26. n. 21.* Berlich. *part. 4. conclus. 10. per plur. seqq.* Carpovius *part. 1. q. 1. n. 8. cum seqq.* & ego aliqua prælibavi *2. tom. de regim. Val. c. 8. §. 8. n. 37. & 4. tom. 15.*

Ex nostratibus Dominus Covarruvias *lib. 2. variar. c. 28. num. 7. & in clement. si furiosus, parte 2. §. 4. n. 1.* Villadiego *in d. l. 11. n. 1.* Christophorus Paz *ad d. l. 63. styli. n. 3.* Montalvus *ad d. l. 1. tit. 17. lib. 4. for. leg. in glos. verb. a sciendas.* D. Gregorius Lopez *in d. l. 2. tit. 8. part. 7. glos. 1. & ibi ibidem Montalvus, Didacus Perez ad dict. l. 4. ordin. Azevedo in d. l. 4. recopil. n. 4.* Anton. Gomez *var. tom. 3. c. 3. n. 17.* Petrus Plaza *in epit. delictor. c. 10. ex n. 1.* Hieron. Zevallos *Commun. contra Commun. q. 580. in fin.* Joan. Guertierres *in authent. sacramenta impuber. n. 63.* Mencacha *controvers. illustr. c. 19. n. 4.* Pater Molina *de justitia & jure, tom. 4. disput. 3. num. 4.* Richard. *in d. §. item lex Cornelia ex n. 3. & in manu duct. ad prax. 3. parte, §. 4. n. 66.* Don Joannes Vela *de delict. l. 1. part. c. 15. n. 57.* Ayllon *ad Gomez d. c. 3. n. 18.* Quorum plures & sanctoris doctrina tradunt, id procedere, etiam si in dubio reperiamur, ut Clarus *in d. §. homicidium ex n. 24.* proponit exceptiones excusantes à pœna ordinaria, & ait: *Excusatur autem homicida pluribus ex causis; & in primis quidem si probet, quod homicidium ipsi commisit ad sui necessitatem defensionem.* Posita namque regula *ibid. n. 18.* quod pœna homicidii sit ultimi supplicii, dum in hac exceptione & ceteris quæ sequuntur, transfert onus probandi in ipsi reum; clarè sequitur quod non probata exceptione regula remanet in suo robore & efficacia; Joann. Bapt. Baiard. *ibid. n. 13.* ibi: *Adde quod in dubio præsumitur quod homicidium fecerit.* D. D. Laur. Mathæu, de Re Crim. Pars 1.

dolo & ex proposito Far. d. q. 126 in 103 idem tenet, & quamvis n. 104. contrariam opinionem referat, n. seq. subjungit, se referendo ad n. 161. quod postquam discriuit de conjecturis, & præsumptionibus indecifam questionem relinquit, sed q. 18. n. 71. sic inquit. *Primo casu quando scilicet sumus in his quæ sunt de genere prohibitorum, & tunc non magis animo delinquit, quam clam delinquit, quam qui palam vel contra omnes enim puniuntur pœna naturali ipsius delicti.* Ant. Matthæus *de crim. d. lib. 48. tit. 5. c. 3. n. 15.* ibi: *in dubio enim cades sicut quevis injuria præsumitur dolo malo facta.* Azevedo *in l. 4. tit. 23. lib. 8. recopil. n. 7.* ibi: *& hoc est sine dubio, sicut & quod in dubio si aliud non probetur in homicidio furto & similibus quæ sunt de jure naturali prohibita, præsumitur dolo.* Petrus Caball. *de homicid. 279. ibi: sed in actibus per se illicitis, & qui sunt de genere prohibitorum dolo præsumitur, quoniam effectus causam demonstrat.* Ant. Gomez *d. c. 3. n. 17.* ibi: *in dubio semper præsumitur quod homicida fecit delictum cum dolo, & proposito, nisi contrarium probat.* Bene Carpovius *d. q. 1. n. 52.* sed eum qui pravo animo aliquem percussit gladio, vel simili instrumento, licet non animo occidendi non versari in dolo, nego ac pernego: dolo è siquidem agit, dum alium pravo animo percussit, cum dolo juxta Baldum sitars nocendi contra naturam, hoc est contra amicitiam naturalem: dolo è quoque agit, quod percussit gladio, vel simili instrumento, quo communiter ictus, & vulnera lethalia infliguntur, ex quibus mors necessario sequitur, adeoque homicidium hoc maxime dolo sum est, non culpsum. Et sanè recta cum ratione, quia regula omni jure stabilita est, ut homicida pœna eadem puniatur, dummodo contrarium non probetur; nempè fecisse necessario, vel casu. Quod jure Hispano indubitatum est; nam *in d. l. 4. tit. 17. lib. 8. recopil.* hæc regula generaliter statuitur, qua cavetur, quod occidens aliquem scienter pœna ultimi supplicii afficitur, nisi in casibus ibi expressis, ex quibus nostram speciem solum respiciunt illa verba, *salvo si mutare a su enemigo conocido,* hoc est, *excepto si occiderit inimicum notum.* Quæ limitatio procedit tantummodò, quoad inimicum notum per sententiam, utputà bannitum, transfugam, hostem civitatis, contumacem, vel similes. Quod probatur ex Text. *in l. 3. tit. 16. part. 2.* ibi: *si fueras ende si fuisse su enemigo dado por iuzo.* Idem probat Text. *in l. 1. tit. eod. tit. ibi: pero baviendo algunos, enemigos*

que le fueren dados por juicio, ut explicat Dom. Gregor. Lopez in d.l. 3. glos. 13. & in l. 3. tit. 14. eadem parte 2. glos. 2. Quia nostrae leges dum inimicum notum excipiunt, de inimico notorio per sententiam, loquuntur, ad eum in l. 76. Tauri, forma & ritus pronuntiandi apponatur, ut tradit Ant. Gomez in d.l. 76. & cum eo omnes Tauritae. Sic explicant praebitam clausulam d.l. 4. recopil. Montalvus in d.l. 1. for. leg. verb. enemigo conocido. Olanus in concord. Antinom. lit. B. n. 17. & Azcovedo in d. l. 4. recopil. n. 12. Quod consonum rationi est; nam si inimicus ex odio privato ob quamcunque causam odii, vel inimicitiae impunè occidere possit inimicum, sequeretur quod lex esset nutritiva peccati, atque omni jure injusta, quia tribueret amplissimam causam delinquendi, cum unusquisque possit insurgere in eum, quem inimicum arbitraretur, & illum occidere, quod esset absurdum. Text. in l. in his 15. ff. de legib. ubi communiter Doctores. Pater Vasquez in l. 2. disput. 151. l. 2. Salas de leg. disput. 2. sect. 8. n. 50. Bonacina disput. 1. de legib. q. 1. punct. 1. n. 9. Pater Suarez de legib. lib. 1. c. 9. n. 11. Castropalao in oper. moral. tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 1. n. 4. Joseph. Rocafull. in prax. mor. tom. 3. l. 1. de leg. c. 2. n. 4. Pluribus Morla in emp. tit. 1. in prax. n. 15. August. Barbof. in collect. c. erit autem lex. n. 2. & segg. Adamus Cotzen lib. 5. politic. c. 12. §. 1. & ego aliam dixi tom. 1. de regim. val. c. 3. §. 1. n. 104. Unde rectè ad propositum dixit Farin. quas. 125. n. 403. ibi: *secus si provocatus offendit post rixam ex intervallo, & postquam cessavit dolor & ira, ipseque ad extraneos diverit actus, quia tunc crederem ridiculum esse dicere quod à poena ordinaria esset recedendum: esset enim aperire viam hominibus ulciscendi se propria auctoritate, inimicosque suos occidendi, ac postea ad evadendam mortem quam alteri intulerunt dicere: sui provocatus, sui injuriatus, sui que offensus, & sic semper ferè homicidia remaneret impunita; cum nullum ferè committatur homicidium quod praecedentem provocationis causam non habeat.*

19 Ex quibus resultat nihil obesse ea quae de provocatione, & atroci injuria dicebantur. Nam praeterquam quod non omnia allegata comprobavit in actis: cum solum testes ad defensionem producti depofuerunt, quod Angela habuerat contentionem verbalem cum uxore occisi; dum ambae per urbem, vel suburbia ambularent, & aliquibus diebus transactis,

dum Angela spectatum isset dictam processionem, Bernardinum transeuntem videns, eum vocaverat, & dixerat se habere cum eo aliqua quae tractarentur. Quod ambo ingressi fuerunt atrium proximae domus, in quo per aliquod spatium temporis locuti fuere absque eo quod verba à testibus intelligerentur. Ac tandem dum egrederentur, Bernardinus dixit verbum illud, quod frequentissimè inter corrixantes cum foeminis dici solet, ut eas compescant, vel desiciant. Hoc quamvis antiquitùs pro injuria atroci inter nostrates aestimabatur ex Text. in l. 2. tit. 17. lib. 9. recopil. de quo plura per Joan. Gutierrez in prax. crim. q. 116. cum segg. Hodie ex frequentia, & abusu loquendi, si ex eo injuriam atrocem sequi concederemus, sufficientem ad aliquem occidendum impunè, quotidie quamplurima homicidia lugeremus. Non enim in his aestimandum est quantum olim simile verbum injuriae afferret; sed quantum, secundum praesentem abusum loquendi aestimari debet. Et ratio est, nam injuria pensanda venit ad mensuram dedecoris resultantis ex convitio prolato, quod augetur, vel minuitur ex communi existimatione, ut in simili docet Parlador. rer. quotid. l. 1. c. 7. n. 25. quem ad hoc allegat Ant. Matthæus lib. 47. ff. tit. 4. c. 1. n. 2. crederet aliquis quod in foemina probatae vitae, ac pudicitiae (qualis Angela dicebatur, & erat) detraheret aliquid honoris, vel famae, verbum vestit, aut indifferè prolatum ab altere ante, vel contentente cum ea, ex causa futilli, qualis erat contentio habita cum illius uxore: Eritane publicum in foro quod in limine privatae domus gestum assereretur: minime, si rem cum recta ratione pensitemus. Ac per consequens cum ex frequenti abusu irrogandi meretricis vitium, cuiuscumque foeminae quae ad iram provocat, nullum aut minimum dedecus sequatur, atrocitas injuriae cessavit, ac pariter provocatione, vel causa ulciscendi, non illic, sed ex intervallo, cum nemo ex Doctoribus audeat asserere, quod injuria verbalis sufficiens causa sit ad ultionem enormissimam excusandam, inter hujus generis personas, ut inferius probabitur. Nam ut plurimum cum aequali injuria verbali retorqueri potest, ut docent Farin. q. 106. num. 245. Anton. Matthæus d. c. 1. n. 9. Matthia Berlich. 5. parte, conclus. 64. n. 28. Carpozovius 2. parte, prax. crim. quas. 95. n. 22. cum segg.

Quod

21 Quod sulcitur ex eo: nam actio injuriarum aestimatur secundum animum injuriandi, ut omnes Interpretes tradunt in l. illud relatum 3. §. sanè, cum lege seg. ff. de injur. pluribus Bellich. d. p. 5. concl. 60. n. 1. cum segg. Carpozovius in prax. p. 2. g. 97. ex n. 1. & licet communiter in dubio animus injuriandi praesumatur, si verba sint sua natura probrosa, ut docet Ant. Marth. d. c. 1. n. 10. Bellich. d. concl. 60. n. 3. 22 Carpozovius d. q. 97. n. 2. tamen quando aliquis in rixa, inconsulto calore iracundiae, verba injuriosa proferat, vel omninò excusandus est, vel mitius puniendus, Text. in l. si non convitii, vers. si autem in rixa, ubi Doctores C. de injur. Julius Clarus §. injuria, n. 51. & q. 60. n. 9. ubi Baiard. n. 55. Far. q. 91. ex n. 1. Gutierrez in prax. crim. q. 129. ex n. 2. Cum autem Bernardinus, non ex proposito convitium protulisset; sed postquam vocatus fuit per Angelam praecedente altercatione inter ipsos, animus injuriandi prorsus deficiebat, ac per consequens ipsa Angela sibi imputare debuit, cur transeuntem, & nil tale meditantem vocavit: quia in his terminis ipsa provocatrix apparet; cum provocator rixae censeatur, qui primis incipit verbis, ex quibus postea ad rixam pervenit. Farin. d. l. q. 125. n. 508. apud quem plures.

23 Praeterea ex actis per confessionem ipsius Angelae, constabat, quod non statim, confestim, aut ipso die, quo verba probrosa Bernardinus protulerat, eum nocavit; sed octo diebus mediantibus, in quibus ipsa vindictam meditavit; quam executam fuit, cum nequiter occidendo: ad quam executionem arma quaesivit, pulverem sulphureum & pilas aut glandes plumbeas paravit, horam congruam elegerit in loco ad quem cum cohorte concurrere solitus erat, insecta fuit, & eum inveniendò violentissimo ictu in capite percussit. Quibus positis, nihil deficit ad comprobationem veri doli, atque animi praemeditati. Sed antequam progrediamur, Platonis sententia in hac specie proponenda est. Pro Angela allegabantur quaedam verba desumpta (ut dicebantur ex lib. 1. de legib. in quo de homicidio non tractat. At lib. 9. ex professo disserit, & ejus verba juxta versionem Junii Cornarii, sic se habent. *Nam & ex ira caedes peraguntur, ab his qui de repente & nulla occidendi praemeditatione plagis, aut hujusmodi aliquo occiderint aliquem, impetu confestim oborientes; & poenitentia statim factum*

ipsum sequitur. Ira item peragunt, qui verbis antea lacefferint, aut etiam contumeliosis factis, ultionem persequentes. postea aliquem occiderint, volentes sanè ipsum occidere, & nulla sequitur ad ipsum factum poenitentia. Duae itaque caedes, ut apparet, ponenda sunt, & ferè ambae ex ira factae involuntariae & involuntariae justissime medium locum obtinentes, imò utraque imago est. Et qui dum iram servat, & non confestim de repente, sed ex insidiis, posteriore tempore se ulciscitur, voluntario homicida similis est. Qui verò iram non recondit sed statim & vestigio absque praemeditatione illa utitur, similis est involuntario. Est autem neque hic poenitentia involuntaria, sed involuntaria imago. Quapropter difficile est decernere caedes ex ira perpetratas, utrum voluntarias ipsas, an aliquas velut voluntarias legibus sancire oportet. Optimum tamen est ac verissimum ambas imagines censere, & ipsas seorsim insidiis & praemeditationis negligentia distinguere. Et qui ex insidiis & ira eadem perpetraverunt, his graviores; qui verò ex praemeditationis negligentia & derepenè, his mitiores poenas sanciri. Subsequitur immediatè poena, nempe in occidente involuntariè exilii, quae est mitior; in necante ex insidiis & voluntariè gladii & denegationis sepulchri. Prudenter equidem non solum tanquam Philosophus, sed tanquam legislator & in jure peritus, cum omnia ab eo tradita legibus ipsis comprobentur. His praebatis, ne ex auctoritate Platonis, verba illius truncata referendo, aliquid argui possit, haec omnia comprobantur ex Text. in d. l. perspicendum, §. delinquitur, ff. de poen. l. in lege Cornelia 7. in prin. l. divus Adrianus, ff. ad leg. cor. de scar. cum similibus à nostris Auctoribus deductis, signanter ab Ant. Matthæo in d. tract. de crim. in prolegom. c. 1. n. 2. Qui verba Platonis adducit. Ex quo fit quod dolus requiratur ad poenam legalem imponendam: sed dolosum homicidium dicitur, quando caedes hominis ab homine patratum cum intentione & proposito occidendi, ut omnes Doctores tenent in d. l. perspicendum, §. delinquitur, & in d. l. 1. §. divus, & in l. qui eadem 16. ff. ad leg. Corne. de scar. ut liquet ex traditis per Julium Clarum d. §. homicidium n. 6. & 8. Baiard. d. n. 13. & segg. Farin. d. q. 116. num. 2. Caball. d. tract. de homicid. numero 271. & segg. Anton. Matthæum §. 1. 48. ff. tit. 5. n. 3. Carpozovius d. q. 1. n. 21. cum segg. Ex nostratibus Anton. Gomez, Covarruv. Plaza & ceteri

T 4

adducti

adducti *supra* n. 15. & 16. *in fin.* At cum animus deliberatus occidendi, vel si malis, dolus verus, si quid latens in corde, ac per consequens difficilis probationis adhuc iuxta opinionem illorum qui dicunt in dubio non presumi, sufficit conjecturis probari per Text. *in l. dolum. c. de dolo*, ubi communiter Doctores Mascardus *de probat. concl.* 864. n. 2. Farin. q. 88. n. 5. & q. 126. n. 93. Clar. *in d. §. homicidium* n. 6. Paz. *ad d. leg. 93. styl. num.* 34. Giurba *d. conf.* 2. n. 37. Carpovius *d. q. 1. n. 24. cum seqq.* qui plura ad rem adducit omnino videnda, & ex n. 51. ad contrarium doctè respondit, quæ non transferuntur cum ibi repetiri possint.

27 Er si desideras conjecturas, in nostra specie plures, & urgentissimas invenies, adhuc seclusa confessione Angelæ; quo ad præmeditationem, & animum deliberatum occidendi Prima se offert quia Bernardinum occidere volens, cum, insecuta fuit post octavam diem, ab illa quæ dicebatur provocatio, querendo opportunitatem in loco publico ad quem sciebat cum convenire solitum fuisse; & nullo dicto verbo percussit. Pluribus Giurba *d. conf.* 2. n. 38. ex nostrat. Ant. Gomez *d. c. 3. n. 30.* & ibi Ayllon qui plures alios cumulat.

28 Secunda conjectura sumitur ex genere armorum, nempe instrumento sulphureo reprobata mensuræ, & violentissimo ex cuius ictu fermè necessariò motus sequitur, Text. *in l. si quis cum telo 7. c. ad leg. Cornel. de scar.* Guazini *def.* 33. cap. 22. n. 4. Farinacius *d. q. 126. n. 117.* & n. 15. Caball. *de homicid. n. 29.* Peguer. *dec.* 4. n. 12. Giurba *d. conf.* 2. num. 39. August. Barbof. *in c. significasti* 18. n. 17. *de homicid.* pluribus Carpovius *d. part. 1. q. 3. ex n. 5.*

29 Quæ conjectura augetur in femina cuius ex natura sexus non ex arma tractate, ad hoc ut possit dici quod casu cum eis reperta explosit, atque vulneravit. Quod mirè comprobatur Virgilius libro 7. *Aeneid.* ibi:

O mater, curis nequicquam exercet, & arma Regum inter falsa vatum formidine ludet. Cura tibi Divum, effigies, & templa tueris, Bella viri pacemque gerant.

Quo Patet Zerdaplura congerit & ad rem celeberrimum Græcorum proverbium nempe: *vulnere gladium tolle.* Plura etiam per Tiraquel. *ad l. 1. connubial. ex n. 61. Cabal. cas. 228. n. 17.* Propria nam-

Mulle

que foeminarum arma colus, & fufus, Ovid *lib. 12. Metamorph.* ibi:

*Columque
1, cape cum calathis, & flamina pollice
sorque,
Bella relinque viris.*

Unde ad rem revocanda sunt quæ tradit Piefi. Valer. *lib. 10. Hierog. cap. de ove,* nempe quod veteres novam nuptam in pelle lanata confidere jubebant, ut ex lana disceret exercitium naturale; & æ geniali thoro manè prodeunt, propinqui colum, fufum, acum & forficem offerrebant, tanquam arma propria foeminarum. Nec extra institutum verba Valer. Max. *l. 9. c. 1. Sed quid ego de feminis ulterius loquar, quas & imbecillitas mentis, & gravosorum operum negata affectatio, omne studium ad curiosiorem sui cultum hortantur conferre.* Semel vidit orbis Senatum foeminium sub Heliogabalo, ut Lampridius narrat *in ejus vita,* in quo senatus consulta de his tantum habebantur, ibi: *Senatus consulta ridicula de legibus matronalibus; quæ quòve ritu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cuius osculum veniret, quæ pilento, quæ equo saginato, quæ asino veheretur, quæ carpentomulari, quæ bumo, quæ sella veheretur, & utrum pellicæ, an olesæ, an eborata, aut argentata, & quæ aurum, vel gemmas in calcamentis haberent, tradit Petrus Gregor. *synagm.* 1. 32. c. 13. n. 3.* Hinc foemina excludit à successione feudi servitium personale requirementis. Matth. de Afflictis *dec.* 320. Et ratio dubitandi an Commendæ Indorum foeminis conferri valeant, de quo plura per dominum Sorlozan. 2. *in Indiar. gubern. lib. 2. c. 5. ex n. 40.* Si enim tractatio armorum, ut resultat; penitus foeminis interdicta est, clarè convincitur quod percussio à foemina procedens ictu tormenti manualis, non potuit perfici absque prævia liberatione vindictæ.

30 Tertia conjectura resultat ex parte corporis læsa, nempe capite, Text. *in c. significasti de homicid. d. l. 1. §. divus,* ubi Bartol. *ff. ad leg. Cornel. de scar.* Peguer. *d. dec.* 14. n. 10. Farin. *d. q. 126. n. 189.* & 191. Caball. *de homicid. n. 293.* Et sic cum Angela Bernardinum telo immani in capite percussit, animo depravato occidendi fecisse tenendum est.

31 Quarta ex machinatione dolosa, sive artificiosa cautela, Text. *in l. qui sit fugitivus, §. apud Labeonem, ff. de Ad. d. edict.* Menoch. *de presum. lib. 4. præf. 3. n. 102.* Masc. *de prob. concl.* 299. Vivius *dec.* 182. Giurba

32

Giurba *conf.* 54. num. 15. Quæ cautela artificiosior reperiri poterat ad securam ultionem consequendam quam plures dies expectare, injuriam (si rem tam magnam æstimabat) reticere, ne ab aliquo impiretur, arma querere, inimicum infidiosè appetere, quando in atrio Regii Palatii cum commilitonibus munus implebat, & dum quietè cum amicis conversabatur, velata facie aggredi, atque infidiosis armis percutere?

33 Quinta ex odio seu inimicitia concepta ratione prælibatæ injuriæ, Marfil. *confl.* 12. numero 10. cum seqq. Farin. *quæstione 49. numero 97.* Caball. *de homicid. numero 290.* Giurba *d. conf.* 2. numero 62. qui de communi restantur. Si enim obvium Bernardinum invenisset, & eo viso arma arripere, atque percuteret, dici poterat impetu potius quam dolo, & malo animo interfecisse, juxta doctrinam Bartol. *in d. l. perspicendum, §. delinquitur.* Clar. *d. §. homicidium n. 8. vers. ex proposito,* Farin. *de quæst.* 126. n. 8. & n. 177. cum seqq. Peguera. *decis.* 78. n. 32. Caball. *de homicid. n. 380.* sed prævia animi deliberatione inimicum querere ad occidendum, & illum inventum percutere, concludit animum pravum atque dolosum.

34 Sexta conjectura oritur ex loco in quo Bernardinum quaesivit & interfecit, quia etiam loca infidiosa reperiuntur, Text. *in l. qui petitorio 36. §. 1. ff. de rei vindic.* ibi *per infidiosa loca servum misit.* nempe in atrio Palatii nostri Regis. Quod Palatium sacrum appellatur, quia Domicilium Principis. *Aurb. habit. c. Ne filii pro patr.* cum aliis infra expendendis n. 66. venerabile ex assidua assistentia omnium supremorum Consiliorum Hispanæ Monarchiæ; publicum ex frequentia cunctarum gentium torius orbis; nobile ex concursu Optimatum; tutissimum refugium omnibus qui nostro Regi famulantur; atque illibatam, quia raro aut nunquam pollutum visum fuit simili immanitate. Ex qualitate enim loci conjectura deliberationis desumitur, Farin. *d. quæstione 126. numero 164.* Si enim in dubio securo homicidio animus præmeditatus presumitur, quanto fortius concurrentibus tot tantisque conjecturis?

35 Nec relevat quod dicebatur, Angelam nempe, justo dolore commotam, & provocatam, ex atroci injuria, impetu deliquisse, cum duratio hujus affectus regulari debeat ad mensuram doloris ar-

bitrio judicis. Quia licet libenter concedam hanc propositionem, nego quod arbitrium judicis ad libitum voluntatis extendi possit; sive, ut dici solet, cerebrinè; sed intra terminos justæ æquitatis, ratione, ac legibus comprobata, ut docet subtilissimus Ant. Faber *in jurispr. Papin. tit. 1. prin. 2. illat. 7.* Quo supposito, conclusio indubitabilis est quod impulsio injuriæ statim subsequi debet provocationem, vel dolorem, ut omnes tenent statim laudandi, & quod dictio statim vel incontinenti sumenda est secundum subjectam materiam, ut plenè probat Barbofa *disc. usufr.* 155. num. 3. subjecta igitur materia est dolor iustus, vel injustus procedens ex atroci injuria, & in his terminis dictio incontinenti sumitur pro tempore per horas computando, ita ut ad alios actus offensus non divertatur. Textus expressus *in leg. quod ait lex 23. ff. ad legem Jul. de adulter.* ibi: *in continenti filiam occidat, sic erit accipiendum ne occiso hodie adultero reserret, & post dies filiam occidat, vel contra. Debet enim propè uno ictu & uno impetu utrumque occidere, æqualiter adversus utrumque quod si non affectavit, sed dum adulterum occidit profugit filia, & interpositis horis apprehensa est à patre qui persequatur, in continenti videbitur occidisse.* Nunc sic, non potuit sic graviter provocari Angela per convitium, ut pater per adulterium filia: sed pater ut occidat impunè non debet exequi ultionem post dies, sed uno ictu, & impetu, & adhuc casu quo filia profugit, tenentur persequi, & solum interpositio horarum ei computatur. Igitur transactis septem, vel octo diebus incontinenti non videbitur occidisse. Sic Bartol. interpretatur hanc dictionem *in l. 1. c. unde vi, numero 9.* ibi: *si verò injuria inferatur persona tunc debet fieri incontinenti in ipso actu seu crimine flagranti.* Baldus *in d. l. 1. n. 2. ibi: de secundo in tempore quod sit incontinenti flagrante maleficio, vel ipso actu delinquendi, & violentia & in ipsa rixa.* Boër. *decis.* 168. numero 3. ibi: *quoniam violentia quando alicui illata est, is qui in continenti in ipso flagrante delicto, & non profecto ex intervallo, se defendere.* Jul. Clar. *in d. §. homicidium, num. 34.* ibi: *si post rixam vulneratus insultum faciat in vulnerantem, non videtur fecisse ad defensionem, sed ad vindictam.* Mascard. *de probat. conclusione 126. numero 42.* ibid: *Nam si post spatia aliquot aut in-*

107

tervalla temporis id homicidium contigisset vindicta, & non defensione existimanda. Farin. d. questione 121. ex numero 23. & questione 125. num. 403. cuius verba retulimus supra numero 17. Petrus Caball. de homicid. numer. 96. ibi: ut in continenti defensio fiat non ex intervallo. Seb. Guazzin. defens. 29. cap. 5. numero 2. vers. circa tempus, ibi: & in continenti dicitur facta si fiat antequam qui se defendit deveniat ad alios actus. Berlich. part. 4. concl. 15. n. 41. ibi: incontinenti autem in hac materia accipitur quando in aggressu ipso atque in pugna continuatione frangente adhuc maleficio non diveriendo ad alios diversos actus: cades ipsa committitur. Carpz. questione 31. numero 2. ibi: non enim ex intervallo, & postquam iam pugna sedata est, irruasque ad extraneos actus descendit, sed in continenti: & n. 34. ibi: Tertius casus est quando post offensionem, & concertationem intervallo longi temporis, veluti unius seu aliquot horarum, seu dierum praeterlapso insultatus denuo aggressorem à quo ab initio percussus fuerat invadit, & trucidat. Ex nostratibus Petrus Plaza d. lib. 1. cap. 28. n. 19. ibi: Superest tamen ut ad propositam questionem revertamur, & quasi totius materiae coronidem illud adsciam in eo sane inculpatam tutelam moderamen vertatur si in continenti defendatur. Et ibi: incontinenti fieri dici si in ipso flagranti crimine propulset injuriam: Azevedo conf. 28. num. 17. ibi: quia non incontinenti fuit factum & sic ultio dicitur. Dominus Gregor. Lopez in lege 2. tit. 8. part. 7. gloss. 7. ibi: & nota quod articulus debet concludere quod percussio fuit facta durante rixa. Montalvus in d. l. 1. tit. 17. libro 4. fori in glossa, verbo defendendose ibi: scilicet in continenti. Dominus Covarruv. in 2. Variar. cap. 9. numer. 2. vers. primum, ibi: idem profecto erit ubi homicidium non praemeditato consilio, sed fortuito oborta questione ad propulsendam injuriam verbalem, ad effugiendum honoris periculum repente contigerit. Et sic ferè omnes, quod iusta ratione probatur deducta ex Text. in lege scientiam 45. §. qui cum aliter ff. ad leg. Aquil. ibi: illum solum, qui vim inferri ferre conceditur, & hoc si tuendi duntaxat, non etiam si ulciscendi causa factum sit: cum autem qui ex intervallo occidit, non tuendi, sed ulciscendi causa percudit, inde est quod excusatio non proficit.

42 Nec adhuc in sententia eorum qui tradunt intervallum longi temporis esti-

mandum arbitrio iudicis, Angela poenam acerbam vitavit: nam illico se offert nota atque scitissima differentia inter injuriam quæ fit re, & injuriam quæ fit verbis, de qua Ulpian. in leg. 1. §. 1. ff. de injur. ubi communiter Doctores, Vela de delict. 1. parte, cap. 16. numero 2. Guttierrez in praxi criminal. quest. 107. numero 1. Ant. Matth. lib. 47. ff. tit. 4. cap. 1. in princ. Berlich. parte 5. conclus. 59. per rot. Carpz. 1. parte praxi crim. quest. 99. Giurba conf. 86. num. 20. Realis namque dicitur illa, quæ facta contumelioso irrogatur, nempe vulnerere, alapa, fuste, arundine, uxorem de adultério molestando, sororem vel aliam cognatam flagitando, & similibus, de quibus plura per Belich. d. conclus. 59. ex numer. 81. Carpz. d. quest. 99. ex n. 1. Verbalis verò, quæ per convitium inferitur, de qua idem Berlich. d. conclus. 59. ex numer. 1. & Carpz. d. parte 1. quest. 94. numero 2. cum segg. Et si inspicatur juris dispositio, solum tolerata reperitur propulsatio injuriæ realis, ex eo quod non potest spectari remedium juris, cum semel perfecta effectus ejus elidi non valet, unde aggressorem occidere licet in ipso actu vim repellendo, ex Text. in l. ut vim, ff. de just. & jur. quod aq̄e procedit in eo qui pudicitiam attentat, Text. in leg. 1. §. item divus, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. & sic in similibus injuriis re, & facto inferendis. At verò effectus injuriæ verbalis per remedia juris tolluntur, ob quod nequaquam excusabitur; si eam aliquis propulsa verit re, & facto. Sic eleganter tradit Ant. Matth. d. cap. 1. numero 9. dicens: Non minus vexata, atque in varias partes distracta est questio, an ille quoque excusandus qui convitio provocatus ulcisci se voluit? Ne dum quid alii senserint exponimus, prolixum nimis fiet caput hoc, breviter quid mihi videtur, aperiam. Existimo itaque laudem quidem non mereri eum, qui provocatus pari retulit, à pena tamen esse excusandum. Laudandum non esse ideo apparet, quod alia sit convitii, alia vis atque verberum ratio, quæ corpori nostro inferuntur. Vis si fiat, expectare legum auxilium non possumus, ne si expectare velimus occumbendum ante sit, quàm prator iria verba sari possit. Convitium si dicatur, expellere per legitimos tramites calumniantium iniquitates possumus, nec ullum periculum in mora. Verum tamen quia difficile est justum dolorem refranare, atque reprimerè, causaque omnis in provocante consistit,

45 consistit, aequum est provocato ignoscere, mutuasque injurias provocatione tolli. Quod est idem ac docent Azeved. conf. 28. numer. 117. Guttierrez in praxi quest. 128. numero 19. Berlich. concl. 68. numero 28. & Carpz. questione 97. numero 39. & melius questione 30. numero 69. qui quidem tenent, quod ut plurimum injuriantem verbis retorquere similem injuriam proflumus (in quo adest etiam modus inculpatæ propulsationis, sive retortionis, ut idem docent) non autem facto percutiendo, vulnerando, occidendo, ut ibidem probant & clarius Carpzovius d. n. 69. ibi: Attamea contrarium, quod scilicet nemini ob defensionem fama, atque honoris, hominem interficere liceat, longe verius est. Neque enim injuriis læsissus in ullo vitæ periculo constitutus. Neque propulsatio quævis, sed solummodo moderata defensio, permisa est leg. 1. C. unde vi. Injuriantem autem injuriantem vel vulnerando, vel eundem trucidando honorem suum moderate non defendere, sed potius privatam vindictam illicitè exercere, extradubium est. Nulla enim proportio inter verba & verbera. Et numero 72. ibi: si tamen honesta persona gravissima injuria verbali affecta in continenti necem injuriantem intulerit: neutiquam pena homicidij ordinaria plene est, sed ob ingentem excessum extraordinariè. Quod est idem ac docuerat noster Præsul & Dominus Covarruv. ubi proxime, qui adhuc mitigationem poenæ in supremis Regiis tribunalibus probat ex consuetudine, ubi statim post homicidium ipse delinquens non punitur, argum. Text. in leg. si diutino, ff. de pæn. juxta cuius doctrinam intelligenda sunt tradita per Christophor. de Paz. ad legem 58. styl. numero 5. Ant. Gomez. d. cap. 3. numero 24. cum similibus, qui tenent provocatum mitius puniri pro excessu, nempe si statim injuriantem verbis occiderit. Quibus positis, quando injuria facto irrogatur, cum effectum permanentem producat, semper durat causa provocans iracundiam, & sic mitigatio per legem concessa ulciscenti statim, remittitur arbitrio iudicis, ut ex facto, personis, atque gravitate injuriæ æstimare valeat an dicatur incontinenti fecisse, quando, quamprimum potuit injuriam vindicavit, ut ex Bellon. Farin. Et Marra probat Giurba d. conf. 86. numero 21. Et cum loquatur de nece stupratoris cuiusdam fororis occi-

dentis, cuncta quæ cumulat in his terminis intelligenda sunt. Ob quod in illa specie, licet vindicta sumpta fuisset post triennium, semper effectus injuriæ permanebat; nempe stuprum fororis. Et adhuc ipse Giurba in fine d. conf. 86. fatetur, quod non ad veritatem indagandam, sed ad contemperationem unius ex iudicibus, reo faventis, consilium illud exaravit: & nihilominus reus fuit condemnatus ad poenam mortis civilis, nempe remigij perpetui. Thomas Grammaticus in d. decis. 5. poenam mitigatam tradit in eo qui occiderat interfectorem consobrini, insidias patratem vitæ ipsius rei, & exempla per eum adducta numero 23. & 24. delumpta ex Valerio Maximo de foeminis ulciscuntibus neces filiorum tractant. Don Ludovicus Peguera d. decis. 78. differit de eo qui injuriatus fuerat atrociter ab illo, qui arma sulfurea in ipsum ad injuriandum dirigebat, & cum in ipso actu propulsare injuriam non posset, paulo post, hoc est spatio media, aut ad summum unius horæ transacto, à tergo vulneravit, ut narrat in prin. decis. Farin. d. questione 91. quidquid differit de subitanea ira, est, ut percipitur ex traditis num. 1. in final. Gizzarel. in d. decis. 18. de vindicante alapam disputat, & sic cæteri Doctores adducti supra num. 21. ac per consequens omnes de vindicantibus injurias re factas tractant.

46 Quando autem injuria verbis fit, incontinenti, in ipso actu, & rixa propulsatio fieri debet, ad hoc ut a crubitas poenæ condonetur ex Text. n. d. lege, ut vim, ff. de just. & jur. d. lege 1. C. unde vid. & utrobique Doctores, Marra decis. 206. numero 20. Farin. d. questione 115. numero 11. Ponte conf. 93. numero 29. & 30. Bellon. de his que fiunt in contin. capit. 6. numero 7. Giurba d. conf. 86. numero 21. cum cæteris adductis supra num. 43. Quibus addenda tradita per Jacobum Cujac. in d. lege, ut vim, qui postquam docuit quo pacto ultio incontinenti sumenda est, ad vitandam poenæ acerbitatem, legem Atheniensium à Demosthene relata tradit, & ipsius Demosthenis verba, ibi: ille articulus confestim tollit omne spatium mediansi quicquam mali. Et concludit Cujacius. Et quidquid tale non fit, in continenti, jure non fit. Sic enim excusatum satellitem qui injuriâ provo